



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Quæstio IV. Expenduntur dubia circà Divinas Relationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

Patris, se ipsum intelligentis, & accipiens eandem naturam per modum similitudinis, quare potest esse imago naturalis, quin procedens sit Verbum, ut constat in genito creato: Quare autem genitum divinum sit imago naturalis, est; quia procedit ut Verbum in eadem naturâ. Displicet tamen ea sententia in eo, quod addit: Spiritum scilicet Sanctum procedere ut similem, vel in similitudinem producentis: Quia, ut constat ex dictis, non est idem, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, ac procedere in similitudinem Dei.

In quo vera sit quarta sententia.

219. Inferes tertio. Quartam sententiam veram esse, quatenus ait, Filium in divinis accipere à Patre naturam ad alterius suppositi productionem; eam tamen non esse rationem clarâ, & immediatam, cur secunda Persona sit Filius; sed eam, quâ dedimus. Displicet etiam hæc sententia in eo, quod addit, nempe Spiritum Sanctum ex vi suæ processions procedere in similitudinem naturæ. Nec est idem, quod Spiritus Sanctus accipiat eandem naturam, ac in similitudinem procedere, vel procedere ut similem: Quia, ut constat ex definitione generationis, similitudo naturæ, quæ ibi ponitur, cadit supra originem: Dicitur enim, quod generatio est processio, seu origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ: Cum autem ratio originis in solâ divinâ naturâ non salvetur; nihil interest, quod Spiritus Sanctus accipiat naturam divinam ad hoc, quod ex vi processions procedat similis, eò quòd origo illius non est similitudo, sicut est origo secundæ Personæ per modum Verbi procedentis.

Quintam omni ex capite rejicio.

220. Inferes quartò. Quintam sententiam, quæ tribuitur Patri Ribadeneyra, & Patri Quiroz, omni ex capite esse rejiciendam: Tum propter præcisiones formales à nobis rejectas. Tum quia intellectionem explicari clariùs, quàm volitionem à Verbo; vel sumitur respectivè ad nostros conceptus? Et hoc non: Quia Verbum divinum ut tale nec in se, nec in sui processione dependet à nostris conceptibus; ab æterno enim fuit secunda Persona Verbum, & Spiritus Sanctus non fuit Verbum, nec Filius, nullo creato existente conceptu. Vel sumitur respectivè ad conceptus divinos? Et neque hoc: Quia in divinis non est nisi unus, & indivisibilis conceptus; scilicet divinum Verbum. Tum quia Deus non cognoscit in Verbo clariùs intellectionem, quàm volitionem, nec econtrâ; aliàs præscinderet formaliter, essetque Dei imperfecta cognitio; cum minor claritas minueret perfectionem cognitionis; quæ omnia satis
Theol.

implicant. Vel sumitur ex intrinsecis prædicatis Verbi divini? Hoc autem etiam propter easdem rationes satis implicat. Ex dictis in decursu præcedentium Quæstionum sufficienter constat notitia aliquarum difficultatum parvi momenti, quæ solent hic ex professo dilputari.



QUÆSTIO IV.

Expenduntur dubia circa Divinas Relationes.



ACTENUS pleno calamo discussimus, quæ in Scholis circa divinas processiones magno inter Scholasticos dissidio solent agitari. Aggredimur in præsentis Quæstione expedire ea, quæ de relationibus divinis ventilantur; quibus omnibus breviter satisfactionem.

LECTIO I.

Quo pacto distinguantur Essentia Divina, & Relationes?

221. **D**ifficultas gravissima est; eam tamen breviter discutiam. Prout autem ad præsens attinet institutum, suppono primò relationes à divinâ essentiâ realiter non distingui; cujus oppositum docuit Gilbertus Porretanus, ut plures aiunt ex Divo Thomâ in hæc Quæstione artic. 2. & ex Divo Bonaventurâ in primo distinct. 23. contra P. Vasquium dicentem, Gilbertum solum distinctionem formalem inter essentiam, & relationes posuisse. At quidquid de hoc sit, talis sententia fuit damnata in Concilio Rhemenfi sub Eugenio III. & veritas Catholica circa punctum hoc suadet primò. Quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed hæc oppositio inter essentiam, & relationes non datur. Ergo. Secundò. Quia ex tali distinctione fieret, divinas Personas simplices omninò non esse; sed compositas ex essentiâ, & relatione. Hoc est absurdum. Ergo. Major patet. Quia compositio est distinctorum unio. Atqui in divina Persona daretur unio relationis, & essentiæ realiter distinctarum. Ergo.

Essentia divina nõ distinguitur realiter à relationibus.

222. Suppono secundò ex Fide in Deo esse
C c 3

De fide
est, in
Deo esse
relationes
reales 2.
re, & non
2. ratione
tantum.

esse relationes reales secundum rem, & non secundum rationem tantum. Ratio est. Quia Fides ponit, & fatetur tres Personas in Deo unius essentia; & hoc propter relationes Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Sed numerus Personarum non est secundum rationem tantum; sed importat distinctionem secundum rem. Ergo in Deo sunt relationes secundum rem.

Quo pacto
relatio-
nes Do-
mini,
Creatoris
&c. in
Deo sint
reales?

223. Sed dices. Deus dicitur essentialiter Dominus creaturarum; & tamen relatio domini non est realis relatio in Deo: Similiter Deus denominatur realiter Filius Beatissimæ Virginis; & tamen filiatio in ipso non importat, nisi relationem rationis, ut tenet Divus Thomas 3. parte, quæst. 25. artic. 5. Ergo etsi relatio Paternitatis non realis; sed rationis esset; Deum Patrem realiter denominaret. Respondeo, denominationes Domini, Creatoris, volentis liberè, & hujusmodi dici reales; non quia ex parte Dei importent relationem veram, & realem; sed solum quia dicunt perfectionem cum fundamento in re ad talem relativam denominationem: Nam ex eo, quod ex creaturis cognoscamus Deum propter dependentiam creaturarum, & earum relationem ad ipsum; non possumus non formare conceptum de Deo, in quo ipsum intelligamus ut terminum illarum; ac per consequens cum ordine ad illas: Quare talis ordo non est realis; sed rationis; quia reverà in Deo non est; sed solum ipsi tribuitur, quatenus à nobis cognoscitur in conceptu relativo, ac proinde cum ordine ad creaturas, eò quod ipsum cognoscamus sicut terminum illarum; unde Deus verè Dominus dicitur creaturarum; quia in illo est tota domini perfectio; sed absque reali ad creaturas relatione, propter imperfectionem, & dependentiam realem, quam hæc importat.

Deus verè
dicitur
Filius Be-
atissimæ
Virginis.

224. Similiter Deus verè dicitur, & propriissimè Filius Beatissimæ Virginis; sed filiatio in Deo non est relatio realis ad Beatissimam Virginem, propter eandem imperfectionem, quam hujusmodi relationes reales ad extrà secum important. Quapropter ad tales denominationes veras sufficit, dari fundamentum in re; scilicet generatio realis Beatissimæ Virginis. At verò in Patre divino, si relatio non esset realis, nullum daretur reale fundamentum; nam Paternitas fundatur in generatione, quæ petit realem distinctionem geniti à generante; cum distinctio in divinis processionibus sumatur à relationibus; unde si istæ non essent reales, distinctio realis inter divinas Personas esse non posset. His ita: In dubium solum vertitur,

an etsi relatio, & essentia divina non distinguantur entitativè, & realiter; distinguantur tamen aliqua distinctione ante omnem operationem intellectus; vel quo pacto distinguantur?

225. Prima sententia tenet, distinguere relationes divinas ab essentia distinctione reali modali, non ut rem à re; sed tamquam rem, & modum. Hanc opinionem Scholis invexit Durandus in primò distinct. 33. quæst. 1. num. 23. ubi asserit, differentiam relationis ab essentia, non esse purè, & præcisè secundum rationem; nec absolutè esse dicendum, quod realiter differant; benè tamen, quod differant aliquomodo realiter ante omnem intellectus operationem. Quod magis explicat infra, ubi docet, distinguere realiter modaliter; id est, non ut rem à re; sed ut rem, & modum. Secunda sententia docet, relationem non distinguere realiter ab essentia; benè tamen ex naturâ rei ante omnem operationem intellectus. Sic Scotus in primo distinct. 2. quæst. 4. & 7. & distinct. 26. & 28. cui subscribunt ejus discipuli; quamvis non desint, qui asserant, Scotum solum intendisse ponere distinctionem virtualem, in hoc sensu Subtilis Doctoris mentem interpretantes.

226. Tertia sententia propugnat, essentiam à relationibus nullo genere distinctionis actualis, sive realis modalis, sive formalis ex naturâ rei ante operationem intellectus gaudere; sed realiter formaliter identificari, & solum ratione nostrâ distinguere. Hæc sententia est Divi Thomæ, & communis inter Doctores. Addunt tamen Recentiores, à parte rei, & independenter ab intellectu dari inter essentiam, & relationes distinctionem virtualem, quam aliqui dicunt intrinsecam; alii verò eam accipiunt pro fundamento ad distinctionem formalem secundum rationem: In hoc autem ultimo sensu à nemine negatur. His ita.

227. Sit prima Conclusio contra Durandum. Inter essentiam, & divinas relationes admittenda non est distinctio realis modalis independenter ab intellectus operatione. Probatur primò. Quia ex sententiâ Durandi sequitur, Personam divinam esse realiter compositam ex naturâ, & modo realiter distincto. Hoc autem est absurdum; cum opponatur divinæ simplicitati. Ergo. Major constat. Quia sicut ex sententiâ Gilberti sequitur compositio realis, entitativa quidem propter distinctionem realem entitativam; sic ex distinctione reali modali sequitur, contra Durandum compositio realis modalis in Deo.

Prima est
Durandi
sententia.

Secunda
est Scoti.

Tertia est
S. Tho-
mæ.

Dico 1.
inter esse-
ntiâ divinâ
& relatio-
nes non
datur dis-
tinctio
realis mo-
dalis.

Negat Durandus : quia modalis non habet esse

228. Respondet Durandus, non se- qui inconveniens illud ex distinctione reali modalis : quia ex re, & modo illius composi- sitio realis non resultat, eò quod modus non habet esse, sed est ipse modus essendi per se, vel alteri non inhærendi. Quod explicat in modo inhærendi accidentis: nam licet accidens alteri inhæreat: modus tamen inhærendi non inhæret: aliàs modi daretur modus, & sic in infinitum. Ut autem ex re, & modo compositio resultaret, deberet modus inesse rei; cujus est modus. Quia ergo divina relatio differt ab essentiâ, ut modus à re; hinc fit, quod in divina Persona ex relatione & essentiâ non resultet compositio. Verùm contra sic primò. Quia compositio aliud non est, quam distinctorum unio. Ergo si modus à re, cujus est modus, realiter distinguitur, & ex illis aliud tertium resultat, dabitur compositio realis modalis. Secundò. Quia licet Durandi opinio sustineatur in creatis, asserendo, modum rei non esse rem (de quo latè in Metaphysicâ) in Deo tamen talis imperfectio adstruenda non est: sicut enim est imperfectio, quod relatio creata non sit substantia; sic etiam esset maxima imperfectio, quod relatio divina non esset ipsa divina substantia. Similiter sicut imperfectio est, quod modus rei create non sit res, sic esset imperfectio, quod modus rei divinæ non sit res divina.

Iterùm si adetur assertio, quia cum relatio divina sit entitas, vel est Deus vel creatura.

229. Probaturs secundò. Omnis entitas aut est Deus, aut est creatura, saltem à parte rei: cum ens ad minus analogicè dividatur per creatum & increatum. Sed relatio divina est entitas. Ergo vel Deus, vel creatura. Secundum est contra fidem. Ergo relatio divina est entitas increata. Ergo aut non distinguitur actu ante operationem intellectus ab essentiâ divinâ; aut si distinguitur, distinctio erit realis secundum rem, & rem; quod est aperte contra fidem.

Rejicio Durandus dicentem relationem divinam non esse rem, sed rei.

230. Respondet Durandus, Relationem divinam prout sic, non esse rem; sed rei: quia tota quidditas relationis divinæ, stat in eo, quod sit alicujus, vel cujus; non tamen ut hoc, vel quod: Concedit tamen, quoad rationem creati, vel increati judicandum esse de modo secundum rem, cujus est modus: sic autem essentiâ divina cum omni suo modo, vel relatione est increata; & essentiâ creata cum omni suo modo est creata. Sed contra est primò. Quia modus, quo Deus intelligit, est ipse Deus realiter. Ergo modus relationis in Deo, vel quo refertur Deus ad intra, est realiter ipse Deus. Contra secundò, Quia modus rei præcisè, & qui non est ipsa res, nequit esse principium aliquid producendi. At, ut vidimus supra, juxta Durandum sola relatio est principium producendi in divinis. Ergo ad hominem contra ipsum relatio non potest realiter esse solum purus modus rei divinæ, quin

realiter sit ipsa res divina, vel divina essentia. Contra tertio. Quia esse diminutivum, incompletum, & non entitativum, est maxime imperfectum. Sed cum ratione increati nulla imperfectio compati potest. Ergo contra quartò. Quia eo ipso, quod relatio Paternitatis sit modus realiter à divinitate distinctus, & non sit ipsa divinitas, verè ab illâ dependet; cum eo ipso divinitati comparatur, non per identitatem; sed per resultantiam, cum reali tamen distinctione: quod ad veram distinctionem saltem modalem est sufficientissimum.

231. Sit secunda conclusio. Inter essentiam divinam, & relationes non est distinctio formalis ex naturâ rei ante omnem operationem intellectus. Ita nostri, omnesque Thomistæ. Probaturs primò conclusio. Ex distinctione reali formali ex naturâ rei sequitur, Patrem divinum esse compositum actu reali formali compositione. At consequens est absurdum. Ergo. Sequela probatur. Compositio est distinctorum unio. Ergo sicut unio distinctorum realiter, est compositio realis, ita unio distinctorum actu formaliter ex naturâ rei, erit compositio formalis ex naturâ rei. At juxta Scotistarum sententiam datur in Patre unio paternitatis, & essentiæ, quæ distinguuntur distinctione reali formali. Ergo in Patre divino dabitur compositio.

Dico 2. Inter essentiam divinam & relationes non est distinctio formalis ex natura rei.

232. Respondent Contrarii, ad compositionem necessariò requiri, quod extrema distinguantur distinctione reali entitativa, eo quod extrema compositionis debeant inter se comparari per modum actus, & potentie; hoc autem non contingit in his quæ solâ gaudent distinctione reali formali; ac proinde illa non sequitur compositio. Sed contra est primò. Equè pugnat cum summâ simplicitate distinctio realis, ac compositio realis. Atqui non pugnat distinctio realis formalis cum summâ simplicitate in personâ Patris. Ergo neque compositio realis formalis: & si hæc pugnat, æquè & illa pugnabit. Contra est secundò. Quia definitio compositionis est distinctorum unio. Ergo compositio realis entitativa petet extrema entitative distincta: compositio autem realis formalis ex naturâ rei exposcet distinctionem realem formalem extremorum. Consequentia patet. Quia à definitione ad definitum cum eodem addito, valet consequentia. Contra tertio. Quia & comparatio extremorum per modum actus, & potentie petitur ex conceptu compositionis, prout hæc abstrahit à compositione per se tali, aut per accidens tali; vel ex conceptu compositionis per se talis? Non primum; quia ens per accidens compositum continetur sub conceptu compositionis ut sic; & tamen extrema illius non se habent per modum actus & potentie. Non secundum:

Multipliciter confuto Adversarios ad compositionem realem necessariò requiri distinctioem realem entitativam.

Quia

Quia compositio per se in hoc differt à compositione per accidens, quod in hac extrema non ununtur per se in tertio, bene autem in illa. Ergo hac datâ unionis perfectitate, etiamsi non comparentur ut actus, & potentia, resultabit compositio per se. Contra quartò. Ex partibus integralibus coalescit compositio integralis: ex subsistentiâ Verbi, humanâque naturâ componitur Christus Dominus. Et tamen in his compositionibus extrema non comparantur ut potentia & actus ut est, communis sententia. Ergo.

232. Quintò. Eò quod divina essentia distinguatur formaliter realiter à Paternitate, est realiter formaliter ab ipsâ terminabilis, indeque non est formaliter infinita: quod sic probo. Infinitas entitativa petit identitatem entitativam cum omni entitate, quæ in ipso conceptu imperfectionem non dicit; aliàs compararetur ut potentia. Ergo infinitas formalis ex naturâ rei petit identitatem formalem cum omni formalitate, quæ imperfectionem non dicit. Quod si divina essentia hanc identitatem non dicit cum Paternitate, nihil ei deficit, quominus comparetur ut potentia ad formalitatem rationis. Contra sextò. Cùm Paternitate, & essentia, non solum ut sunt unum; sed etiam ut formaliter actu distinctis constituitur Pater. Sed nõ ut unus formaliter per simplicitatem. Ergo ut unus per formalem compositionem. Consequentia probatur. Si distinguerentur entitativè, Pater constitutus non esset unus per simplicitatem; cum compararentur ut actus & potentia: Cùm in tali casu minori unitate gauderent. Ergo idem, quod prius, si distinguerentur formaliter.

2, Probatur eveniendo Scotarum fundamentum.

234. Probatur secundò conclusio. Nam fundamentum Scoti in eo stat, quod essentia communicatur actu Filio, & non Paternitas. Sed hæc ratio vel probat entitativam distinctionem inter essentiam, & Paternitatem; vel non probat formalem. Ergo. Probatur minor. Quia essentia communicatur Filio, & de illo negatur entitativè Paternitas; & non solum formaliter; aliàs Pater & Filius non entitativè; sed solum formaliter distinguerentur. Ergo si ex affirmatione & negatione distinctio colligeretur, colligi deberet non solum formalis; Sed etiam entitativa distinctio. Explicatur hoc. Nam comunicari entitativè, & non comunicari entitativè, possunt verè affirmari de eadem entitate ratione infinitatis reperta in tali entitate, modo infra explicando. Ergo comunicari formaliter, & formaliter non comunicari, poterunt etiam affirmari ratione infinitatis in eadem formalitate reperta.

Dico 3. Essentia divina, & relatio formaliter

235. Sit tertia conclusio. Essentia divina, & relatio solâ ratione distinguuntur per intellectum. Sic omnes cum Divo Tho-

mâ hic & pluri bus aliis in locis. Explicatur. Ex dictis constat, summam simplicitatem divinæ essentia, ac proinde cujuscumque Personæ, omnem distinctionem excludere, quæ possit dici vera, & propria distinctio actualis, & ante omnem intellectus operationem, sive talis distinctio sit modalis, sive formalis, sive etiam virtualis: si hæc eo sensu accipiatur, ut ex parte Dei, ut est in se, attingatur divina relatio intrinsicè, & non attingatur intrinsicè divina essentia: quam distinctionem rejeci in Logica; quamvis in alio sensu sit admittenda; pro eo videlicet, quod infinita entitas divina eminenter præbeat fundamentum, ut per intellectum nostrum concipiatur essentia absque relatione, & contra, juxta modum à nobis alibi explicatum.

236. Probatur primò conclusio ex Divo Thomâ in 1. distinct. 23. artic. 1. ubi sic habet in corpore: *Et ita dicendum, quod proprietates, & essentia sunt idem re, sed differunt ratione.* Et quart. 8. artic. 2. sic ait: *Oportet ergo, Relationes secundum rem esse divinam substantiam; que non habent tamen modum predicandi substantia; sed habent alium modum predicandi ab his, que substantia liter predicantur in Deo.*

237. Probatur secundò ratione. Quia ea distinguuntur formaliter per intellectum, de quibus diversos formamus conceptus; ita ut in uno cognoscamus unum, & non aliud, & è contra. Sed intellectus noster format conceptum de Paternitate divinâ, in quo eam attingit cum oppositione ad Filium, quin in tali conceptu attingat divinam essentiam: similiter format conceptum de essentia divinâ, in quo eam attingit ut tribus Personis communem, quin in tali conceptu attingat aliquam relationem divinam. Ergo licet essentia divina, & relatio sint à parte rei omnino idem; tamen per intellectum ratione distinguuntur.

238. Probatur tertid. Quia Pater Divinus à parte rei, & in se non habet nisi unum esse simplicissimum. Ergo à parte rei essentia, & Paternitas sunt hoc esse divinum. Sed quæ habent unum, & idem esse sunt unum, & non distincta. Ergo Paternitas & essentia ante intellectum nullo modo distinguuntur. Tunc sit. Sed essentia & Paternitas divina habent diversum esse, prout existunt, & concipiuntur à diversis conceptibus. Ergo prout in illis, distinguuntur, ac proinde solâ distinctione rationis.



LECTIO II

Diluuntur argumenta contraria.

1. Quia ex entitate, & modo non resultat realis compositio: Humanitas enim si dimittitur à Verbo, alium in modum haberet, non aliam compositionem.

239. **A**rguitur primò contra primam conclusionem. Ex entitate, & modo entitatis non resultat realis compositio. Ergo ex eo quod relatio realiter distinguatur ab essentia; modaliter tamen, nulla infertur compositio realis. Antecedens conatur exemplis probare Durandus. Si enim Humanitas Christi Domini dimitteretur à Verbo divino, alium modum haberet essendi, sed non haberet aliam compositionem. Ergò. Similiter unum tangens aliud, non est magis compositum, quam si illud non tangeret: & tamen tangere, vel tangi est modus realiter differens ab utroque tangentium. Ergò. Ulterius. Omnis realis compositio est per hoc, quod unum alteri inhaereat. Sed modus non inhaeret rei, cuius est modus. Ergò pariter in nostro casu.

240. Aliqui, inter quos Illustrissimus Godoy disputat. 75. respondent, negando antecedens. Et ad probationem veritatis exemplum inficiantur. Nam si Humanitas dimitteretur à Verbo haberet componere personam creatam; cum antea non creatam; sed divinam Personam componeret. Fundatur solutio in eo, quod putant, subsistentiam creatam esse aliquam entitatem positivam modalem, & realiter positivè à naturà distinctam: quam sententià rejecimus in Metaphysicâ. Unde ad argumentum, distinguo antecedens: si modus sit aliqua entitas positiva, nego: si non sit positiva entitas, concedo antecedens: & nego consequens suppositum: quod scilicet divina relatio sit modus: est enim realiter loquendo tam res, & substantia, ac est ipsa divina essentia; licet prout ratione distincta ab essentia, solum explicetur per esse tantum ad aliud; Re tamen ipsâ sicut relatio divina non est accidens, ita nec modus. Ad exemplum ex dictis in Metaphysicâ respondeo, quòd casu, quo Humanitas Christi Domini dimitteretur à Verbo, esset subsistens per se, & non per aliquid superadditum; sed ex eo solum quòd nunc non existeret ut assumpta à Verbo: hoc enim est existere per se, & non per aliud. Unde natura creata dicitur per se subsistens eo, quòd per se existit, seu cum carentiâ essendi per aliud.

Persona autem Patris non natura divina cum carentiâ aliquâ.

241. At verò Persona Patris non est natura divina cum carentiâ aliquâ; nec Paternitas importat aliquid negativum: quia cum relationes conducant ad processiones, Theol.

& illarum principia constituent; hæc omnia non possunt salvari in modo essendi, qui importet aliquid negativum. Ad aliud exemplum dici potest, quod tangens aliud, est concretum accidentale ex tangente, & tacto resultans. Vel dic, quod quando duo corpora se tangunt, sibi invicem imprimunt species, ut experientia ostendit: nam statim ac manu attingo aquam, lapidem, &c. sentio per sensum tactus; & sic jam datur aliqua realis compositio. Ad ultimum nego, solum dari compositionem inter ea, quorum unum alteri inhaeret, ut patet in Christo Domino ex Humanitate composito, & Personâ Verbi Divini; & tamen non inhaeret Humanitas: & constat etiam in compositione continui, ubi pars quantitatis non inhaeret alteri comparati.

242. Arguitur secundò. Non omnis realis distinctio duorum facit compositionem: nam Paternitas, Filiatio, & Spiratio distinguuntur realiter inter se; & tamen nullam faciunt realem compositionem. Respondeo: Omnem realem duorum distinctionem facere compositionem, si inter ea sit unio; secus autem si nulla sit. Attamen si relatio, & essentia distinguerentur, cum ex illis resulteret unum; scilicet Persona divina, resulteret compositio. Divinae autem relationes cum inter se non uniantur ad constituendum unum, à quo distinguuntur, inde est, quod nullam faciunt realem compositionem; sed potius distinctionem; quia quælibet unitur ad distinctum suppositum constituendum.

243. Arguitur tertio pro Secoto contra secundam conclusionem, ex Sancto Augustino 7. de Trinitate cap. 4. sic dicente: Trin. c. 4. *Patrem non ed Deum, quòd Patrem, sed aliud esse Deum; aliud Patrem, vel Dominum esse.* Sed ut hoc verificetur, major distinctio requiritur, quam virtualis, & rationis. Ergò datur inter Paternitatem, & essentiam distinctio realis formalis. Respondeo ex Divo Thomâ, quòd esse sumitur tripliciter: primò pro actu essentia; sicut dicitur, quòd vivere, sive anima viventibus est esse: in hoc autem sensu Pater non habet nisi unum esse indivisibile: & sic idem est esse Paternitatis, ac essentia. Secundò, sumitur esse pro ipsâ quidditate vel naturâ rei: sicut dicitur quòd definitio est oratio significans, quid est esse: definitio enim quidditatem rei significat, sive esse quidditativum: in hoc autem sensu cum alia sit ratio Paternitatis, quando definitur, & alia ratio essentia, dicitur quòd aliud sit esse Paternitatis, & aliud esse essentia. Nam ut benè Divus Thomas, essentia, & Paternitas non ununtur in esse, quòd significat definitio rei: quia alia est ratio Paternitatis, quâ ad illud refertur, & alia est ratio essentia.

Duo realiter distincta faciunt compositionem, si inter ea sit unio.

Num 5. Aug. 7. de Trin. c. 4. refragetur 2. conclusioni.

244. Tertio

244: Tertio lunitur esse, prout significat veritatem compositionis in propositionibus, & secundum quod ly est dicitur copula: & hoc esse est in intellectu componente, aut dividente per affirmationem, vel negationem, licet fundetur in esse rei, eò quod datur in eadem re fundamentum ad veritatem plurium compositionum, in quibus sicut multiplicatur copula, multiplicatur etiam esse. Mens igitur Sancti Augustini non est, quod Paternitas re ipsa aliud habeat esse distinctum ab esse essentia; sed solum quod Pater diverso modo definitur in esse Patris, ac in esse Dei, eò quod alia est ratio Paternitatis, & alia est ratio divinae essentia.

245. Arguitur quarto. Ea differunt distinctione actu reali formali, quae distinguuntur definitione. At essentia, & relatio distinguuntur definitione: Ergo distinctione actu formali ex natura rei. Minor probatur primo, nam essentia definitur ad se; relationes vero in ordine ad alia, Ergo definitio essentiae distincta est à definitione relationum. Secundo, Relatio, & essentia, ut praescindunt à creato, & increato, differunt definitione, & consequenter distinctione actu formali. Sed ea, quae essentialia sunt rationi communi Deo, & creaturis, in Deo etiam formaliter reperiuntur. Ergo essentia divina, & relatio differunt in Deo definitione, & ratione actu formali. Tertio. Relatio nec est definitio essentiae divinae, neque est de illius definitione: similiter natura divina nec est definitio relationis neque de illius definitione. Ergo gaudent definitionibus ex aequo distinctis, & consequenter distinguuntur definitionibus.

246. Respondeo distinguendo majorem: quae distinguuntur definitione, si haec detur de illis, prout sunt in re, concedo: si detur de illis, non prout sunt in se; sed quatenus per distinctos conceptus percipiuntur ab intellectu imperfecte cognoscente; nego majorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Cum igitur essentia, & relatio divina definiantur à nobis, prout eas cognoscimus in diversis conceptibus; diversitas definitionum de illis solum arguit distinctionem actualem per intellectum, quam libenter concedimus: ac nullo modo distinctionem actu formalem, vel aliquam aliam actualem à parte rei.

247. Ad primam probationem dic, ne cedens esse verum: ex eo tamen solum infertur, quod essentia, & relatio in re sint unica, & indivisa perfectio, quae, quia infinita est, continet rationem essentiae, & rationem relationis; non qui-

dem actu distinctas, licet à nobis definibiles per diversas definitiones, prout diversis conceptibus cognoscuntur. Ad secundam nego essentiam, & relationem sub illa praecisione semper diversis definitionibus definiiri; quia semper assumuntur in diversis conceptibus: ex hoc autem solum infertur, quod quando definitur substantia, & relatio in creatis, cum sint diversa praedicamenta, intercedat inter illa realis distinctio, saltem in sententia distinguente relationem à fundamento: secus autem in Deo, qui juxta dicta in Metaphysica, cum non sit in genere substantiae; sed supra omne genus, continet absque distinctione actualem omne genus distinctionis. Ad tertiam concedo antecedens de relatione, & essentia, prout his tantum nominibus significatur, & seorsim distinctis conceptibus attinguntur à nobis: non tamen de illis, prout in se sunt; quia prout sic nullam actualem distinctionem admittunt.

248. Arguitur quinto. Pater cum se intelligit, aut intelligit essentiam, & Paternitatem ut diversa objecta, vel ut idem objectum, licet sub alio, & alio modo nostro concipiendi? Si primum essentia, & Paternitas distinguuntur realiter formaliter: cum Patris intellectio terminetur intuitivè ad illa objecta, prout in se sunt, si secundum. Ergo non est major differentia inter essentiam, & relationem, quam inter Deum, & Deitatem: quod est absurdum. Consequentia patet. Nam Pater concipit Deum, & Deitatem ut idem objectum in re, licet distinctum sub alio, & alio nostro concipiendi modo. Ergo si non aliter concipit essentiam, & Paternitatem, non plus distinguuntur, quam Deus, & Deitas.

249. Respondeo primam partem dilemmatis esse falsam; secundam autem esse veram. Et distinguo consequens. Non est major differentia rationis, & per intellectum, nego: non est major differentia actualis formalis, concedo consequentiam. Quia differentia actu formalis ex parte Dei nulla est in utroque casu: dicitur verò, quod sit major differentia rationis: quia relatio, & essentia, vel potius entitas, quae est utrumque, majus fundamentum praebet distinguendi per intellectum, quam Deus & Deitas: cum videamus ab entitate, quae est essentia, & relatio, diversos effectus, ac diversa praestari munera, quae nullo modo à Deo, & Deitate praestantur: non enim valet: Deus communicatur, & Deitas non comunicatur: valet tamen essentia communicatur: Paternitas autem non comunicatur: quare dicitur ex hoc fundamento, quod sit major distinctio per intellectum inter Deum, & Paternitatem, quam inter Deum, & Deitatem.

250. Argui-

Mentem
Augustini
declaro.

Impertinens
et
Ripalda

Opponi-
tur, quae
definitio-
ne distin-
guuntur,
differunt
actu rea-
liter for-
maliter.Resp. Id
esse verum,
si definitio
si de
illis prout
sunt in se.Essentia
autem &
relatio in
re sunt u-
nica & in-
divisa per-
fectio.Vel Pater
se intelli-
gens intel-
ligit essen-
tiam &
Paternita-
tem ut di-
versia obje-
cta, vel ut
idem.Respon-
deo illas
intellige-
re ut idem.

250. Arguitur quintò. Duo prædicata contradictoria non possunt verificari de uno, & eodem absque distinctione actuali, operatione intellectûs seclusâ. Sed duo prædicata contradictoria verificantur de essentiâ, & divinis relationibus. Ergo ante intellectum distinguuntur. Minor probatur. Nam de essentiâ prædicatur, quod sit communicabilis; de relationibus verò, quod sint incommunicabiles. Major verò probatur. Quia si duo prædicata contradictoria de uno, & eodem sine distinctione actuali, secluso opere intellectûs, verificarentur simul, simul etiam verificaretur, idem realiter esse, & non esse; quod est plusquam falsum, & impossibile.

251. Huic argumento solet esse communis solutio, illa posse prædicata salvari, quæ dicuntur contradictoria, per solam distinctionem virtualem: Quæ distinctio, ut dixi, si accipiatur pro eminentiâ perfectionis divinæ; quæ, quia infinita est, eos præstat effectus absque ullâ distinctione actuali, ab omnibus est admittenda; si verò accipiatur pro eo, quod intrinsecè ex parte Dei sit alia, & alia formalitas actu cum aliquâ verâ, & propriâ distinctione, quocumque nomine baptizetur, est omninò rejicienda.

252. Ad argumentum igitur respondeo, quod essentiam divinam realiter communicari, & Paternitatem realiter non communicari, salvantur absque ullâ actuali distinctione à parte rei inter essentiam, & relationem; quin tale simile inveniatur in creaturis; & hoc propter infinitatem perfectissimam divinæ simplicitatis: Quod quidem ita oportet, propter eandem infinitatem salvari absque ullâ distinctione sive modali, sive formali ex naturâ rei; cum divina essentia non solum realiter; sed etiam formaliter ex naturâ rei sit infinita, & illimitata.

253. Replicabis. Essentia divina negatur de Paternitate v. g. secundum quod constituta per aliquod esse actuale reale ante operationem intellectûs. Ergo ante operationem intellectûs distinguitur ab illâ saltem realiter formaliter. Consequentia patet. Nam eo modo unum ab alio distinguitur, quo potest negari de illo; & e contra eo modo, quo cum illo identificatur, potest affirmari de illo. Ergo si essentia ut constituta per aliquod esse reale, negatur de relatione ante omnem operationem intellectûs, per illud distinguitur ab illâ, & consequenter aliquomodo realiter. Antecedens verò primum probatur. Essentia divina constituitur in aliquo esse reali per aptitudinem, ut identificetur cum tribus Personis, sive ut actu

illis communicetur. Sed ut sic constituta negatur de Paternitate v. g. ante omnem operationem intellectûs. Ergo negatur de illâ essentiâ ut constitutâ, &c. Minor probatur. De quocumque negatur constitutum, negatur constitutum per ipsum. Sed de Paternitate negatur aptitudo, ut identificetur tribus Personis, ante operationem intellectûs, ut est certum. Tum quia de illâ negatur actualis identitas cum tribus Personis, & consequenter etiam aptitudo. Tum quia distinguitur etiam ab aliis Personis, & consequenter ei repugnat aptitudo, ut identificetur cum illis. Ergo etiam negatur de Paternitate essentia prout constituta per talem aptitudinem in aliquo esse reali ante omnem operationem intellectûs.

254. Ad hujusmodi replicam reducitur tota efficacia, & vis rationis desumpta ex veritate duarum propositionum sibi invicem contradicentium; quâ utuntur Gilbertus, ut probet entitativam realem distinctionem; Durandus, ut probet distinctionem realem modalem; Scotus verò, ut suam distinctionem ex naturâ rei suadeat. Et quidem replicâ vel convincit distinctionem entitativam assertam à Gilberto, vel nihil convincit. Unde cum Durandus, & Scotus Catholicè fateantur, argumentum factum, ineptum esse omninò ad probandam distinctionem entitativam; necesse est, ut illius inefficaciam ad suas distinctiones actuales suadendas, omninò recognoscant.

255. Ante solutionem nota, nos loqui de essentiâ, & Paternitate, prout à nobis viatoribus in diversis conceptibus concipiuntur: Unde hæc nomina *Essentia*, & *Paternitas* significant rationem quidditativam essentia, & rationem quidditativam Paternitatis: Quæ rationes sunt duæ, & multiplicatæ saltem prout in nostris conceptibus; de quibus ut sic cognitis verificamus ea prædicata, prædicando de unâ, quod de aliâ non prædicamus; quia cum sint distinctæ rationes, oportet, de diversis diversa prædicari: Cum hoc tamen optimè componitur, quod ea, quæ sic prædicantur, conveniant uni, & eidem entitati secundum rem: Nam ut aliquid affirmetur de uno, & negetur de alio, quantum per rationem distinctis, sufficit distinctio rationis cum identitate rei, ut docuit S. Thomas in hoc eodem puncto quæst. 8. de Potentiâ, artic. 2. ad 7. his verbis: *Sicut dicit Philosophus 3. Physicorum, non opus est, quod omnia ea prædicentur quomodolibet de eisdem; sed solum de eisdem secundum rationem; essentia autem divina, & Paternitas, etsi sint idem re, non sunt idem ratione; & ideo non oportet, quod quicquid prædicatur de uno, prædicetur de alio.*

In hac replicâ fundantur Gilbertus Scotus, & Durandus.

Viatores loquimur de essentiâ & Paternitate, prout diversis conceptibus attinguntur.

Theol.

D d 2

256. Unde

Sic autem
Paternitas,
ut per
huic con-
ceptū fig-
nificata,
non est à
parte rei.

256. Unde ad replicam nego anteceden-
s. Ad probationem nego etiam mino-
rem. Ad primam illius probationem dic,
assumi fallum; scilicet Paternitatem sub
istâ ratione accipi secundum rem, prout
est à parte rei: Nam à parte rei non est
nisi unica entitas, quæ est Paternitas, &
simul essentia absque ullâ distinctione
utriusque à parte rei, licet secundum rati-
onem distinguantur; & sic de entitate,
quæ est Paternitas, non negatur actualis
identitas cum tribus Personis, nec illa
aptitudo. Ad secundam dic, Paternita-
tem, prout est in re, distingui etiam à
tribus Personis; ex hoc autem non sequi,
quod entitati, quæ est Paternitas, prout
est in re, repugnet identificari cum tribus
Personis: Quia eadem indivisibilis enti-
tas in re identificatur cum tribus Personis;
& simul habet rationem, quâ realiter di-
stinguatur; nimirum quod sit Paternitas,
aut relatio.

Cū perfe-
ctio divi-
na prop-
ter sui in-
finitatem
est abso-
luta, & re-
lativa; ea
dè Patris
entitas est
idem cum
Filio, &
realiter ab
illo di-
stinguitur

257. Instabis primò. Quod est in re,
secundum quod est idem, identificatur
cum alio, & simul realiter ab illo distin-
guitur. Atqui hoc implicat. Ergo. Res-
pondeo, quod si entitas sit omnino ead-
em tam secundum rem, quam se-
cundum rationem; non potest hoc con-
tingere; secus autem, si non sit eadem
secundum rem, & divisibilis secundum
rationem. Et distingo minorem: Hoc
est impossibile in formâ finitâ, concedo: In
infinîtâ, nego minorem. Ratio est. Quia
sicut ab omnibus Catholicis est conceden-
dum, quod divina perfectio propter sui
infinîtatem est simul indivisibiliter entita-
tivè absoluta, & relativa; consequenter
est concedendum, quod eadem entitas
Patris sit idem cum Filio, & etiam reali-
ter distinguatur à Filio; quia hæc entitas
rota est Paternitas, & sic distinguatur à
Filio; & eadem tota est essentia, & sic
identificatur cum Filio. Et quia hoc ita
contingit in re sine actuali distinctione in-
ter Paternitatem, & essentiam, habemus
fundamentum, ut distinguamus actu per
intellectum rationem essentia, & ratio-
nem Paternitatis; verèque affirmemus,
entitatem Patris secundum rationem es-
sentia esse in Filio, & secundum rationem
Paternitatis non esse in Filio. Unde non
sequitur, quod in entitate Patris sit alia,
& alia ratio à parte rei; sed quod intelle-
ctus utramque rationem, quam cum di-
stinctione apprehendit, eidem entitati Pa-
tris absque distinctione actuali attribuat-
ur, quod essentiam divinam Filio com-
municet, non communicatâ Paternitate.
Unde solum evincitur, quod eadem entitas,
quâ Paternitas est, distinguatur à Filio;
& quâ essentia est, identificatur cum
Filio.

258. Instabis secundò. Paternitas, &
essentia sunt idem secundum rem. Ergo
habent unum, & idem esse reale. Tunc
sic. Sed idem esse reale est in Filio. Ergo
& idem esse reale Paternitatis erit in Filio.
Atqui ubi est esse reale Paternitatis, est
realiter Paternitas. Ergo in Filio erit rea-
liter Paternitas. Tunc sic. Quod habet
esse reale Paternitatis, habet esse Pater.
Ergo si in Filio realiter est esse Paternita-
tis, Filius habet esse realiter Paterni-
tatis, consequenter Filius habebit esse Pa-
ter. Concedo primum enthymemma,
minorem etiam subsumptam, & conse-
quentiam; nego tamen, quod ubi est esse
Paternitatis præcisè, sit Paternitas; quia
solum est Paternitas, ubi est esse Paterni-
tatis secundum rationem Paternitatis, &
essentia: In Filio autem solum est esse
Paternitatis secundum rationem essentia;
non verò secundum rationem Paternitatis;
sic ergo non urget fallacia, quam conten-
dit argumentum.

259. Dices. Ratio Paternitatis, & ra-
tio essentia habent unum, & idem esse.
ac proinde sunt unum, & idem esse. Sed
esse Paternitatis est in Filio secundum ra-
tionem essentia. Ergo esse Paternitatis
erit in Filio secundum rationem Paterni-
tatis. Distinguo majorem. Ratio Paterni-
tatis, & ratio essentia habent unum, &
idem esse existentia, & secundum rem,
concedo; habent unum, & idem esse se-
cundum rationem, sive esse quidditati-
vum, nego majorem. Unde licet Paterni-
tatis, & essentia sint idem secundum rem,
& habeant unum, & idem esse; tamen
ratio Paternitatis, & ratio essentia non
sunt idem quiddativè, habentque diver-
sum esse quoad quid est; id est, quantum
ad quidditatem, quæ per definitionem
explicatur: Quæ diversitas sufficiens est,
ut licet idem esse reale sit in Filio; non ta-
men sit, secundum quod est Paternitas,
nec secundum istam rationem. Stat enim
oprimè, ut dictum est, quod eadem en-
titas habeat, quo sit Filius, & simul quo
distinguitur realiter à Filio, quando talis
entitas propter sui infinitatem in eodem, &
indivisibili esse reali habet, quod absoluta
simul, & relativa sit; quia tunc propter
hanc eminentiam habet, quod simul iden-
tificetur realiter, & simul realiter distin-
guatur. Hoc autem nullatenus continge-
ret, nisi duæ illæ rationes, quæ per intel-
lectum actu sunt distinctæ, corresponde-
rent eidem entitati indivisibili. Unde si
entitas esset talis, quod non posset dividi
secundum illas rationes Paternitatis, &
essentia, nullo etiam modo haberet,
quo simul realiter identificaretur cum ali-
quo, & simul realiter ab illo distingue-
retur.

Septē rati-
onibus
Adverfa-
rii contra
nos infur-
gunt.

260. Arguitur septimò. Primò. Quia identitas realis unius cum alio, dicit negationem realis distinctionis ab illo. At Paternitas realiter à Filiatione distinguitur. Ergo non identificatur cum illà realiter. Secundò. Quia bene valet Paternitas prout in re est incommunicabilis realiter Filio; & Paternitas prout in re est essentia. Ergo non est communicabilis Filio. Pater consequentia. Quia argumentum valet ab affirmativo ad negativum, variato prædicato penès finitum, & infinitum. Terriò. Non minùs opponuntur termini contradictorii, quàm extrema relativè opposita; cum oppositio contradictoria sit omnium maxima. At si de naturâ sub conceptu essentia verificaretur, quod est extremum relativè cum Paternitate oppositum, non posset prout sic cum Paternitate identificari. Ergo cum verè affirmetur de illà, quod sit communicabilis; & de Paternitate, quod sit incommunicabilis, qui sunt termini contradictorii, non potest omninò realiter identificari cum illà.

261. Quartò. Nam ex dictis sequitur, verè affirmari de essentiâ, quod sit ratio distinguendi Patrem à Filio; quod ab illà realiter distinguitur; ac denique quod relativè cum Filio opponatur; cum hæc omnia de Paternitate verè affirmantur. Consequens autem videtur absurdum. Ergo. Quintò. Si essentia communicaretur intuitivè intellectui beati, & non communicaretur intuitivè Paternitas eidem intellectui; argueretur inter essentiam, & Paternitatem actualis, & realis distinctio, vel saltem actualis formalis ex naturâ rei; ut ex Tractatu de Visione colligunt plures Theologi. Ergo essentiam communicari Filio sub aliquâ ratione, & Paternitatem sub aliquâ ratione non communicari Filio, arguere debet distinctionem saltem formalem ex natura rei. Sextò. Id, quod facit distinctionem in divinis, non est idem cum eo, quod non distinguit, nec distinguitur. Sed relatio in divinis distinguit; essentia autem non distinguit, nec distinguitur. Ergo non sunt idem. Septimò. Idem per suam essentiam non potest esse principium contrariorum. Sed distinctio, cujus est principium relatio, in divinis opponitur unitati, cujus est principium essentia. Ergo relatio, & essentia non sunt idem. Hæc tamen omnia vel probant entitativam distinctionem, vel nihil convincunt.

Ad r. di-
co, idē-
tate realē
entis fini-
ti exclu-
dere dif-
finitionē
realem.

262. Ad primum distinguo majorem: Si identitas sit alicujus formæ, sive entitatis finitæ, & limitatæ, concedo; si sit entitatis infinitæ, continentis perfectissimè rationem absoluti, & relativi, nego majorem. Unde cum eadem entitas divina

Theol.

fit simul absque ullâ compositione, aut distinctione actuali, essentia simul, & Paternitas; absoluta, & relativa; eadem communicatur, & eadem distinguitur; numquam tamen est concedendum, quod realiter non communicetur, neque quod realiter non distinguatur independenter ab omni operatione intellectûs: Quia cum negationes sint malignantis nature, destruunt, quicquid de tali entitate verè potest affirmari, & affirmatur.

263. Ad secundum respondeo, argumentationem illam non valere; quia facit hunc sensum. *Res, quæ est Paternitas, sub aliquâ ratione non communicatur. Ergo sub nullâ ratione communicatur.* In quâ antecedens est verum, & consequens falsum; nec argumentatio est bona ab affirmativâ de prædicato infinito ad negativam; ut si dicas: *Res, quæ est Paternitas, est incommunicabilis, seu non communicabilis. Ergo res, quæ est Paternitas, non est communicabilis.* Ratio est. Quia tunc arguitur à termino non distributo ad distributum; in quo modo arguendi incidit fallacia, quæ potest hoc exemplo declarari: *In mari sunt non pisces: Ergo in mari non sunt pisces:* Non valet consequentia. Quia negatio infinitanter sumpta in antecedenti, non distribuitur pro omnibus, quæ sunt in mari; bene verò in consequenti; quare in antecedenti habet hunc sensum: *Est aliquid in mari, quod non sit piscis:* Et in consequenti significat, nihil esse in mari, quod sit piscis. Eadem omninò fallacia in præsentī deprehenditur; nam cum dicitur: *Res, quæ est Paternitas, est incommunicabilis, vel non communicabilis à parte rei;* negatio infinitanter sumpta, non distribuit entitatem divinam quoad omnia, quæ eminenter dicit, vel declarat, vel quibus æquivalet; aliàs propositio esset falsa. Cum verò dicitur, quod entitas, quæ est Paternitas, non est communicabilis; negatio sumpta neganter distribuit entitatem divinam quoad omnia, quæ eminenter dicit; facitque hunc sensum: *Quod scilicet res, aut entitas, quæ est Paternitas secundum nullam rationem est communicabilis; qui sensus, ut dictum est, est falsus omninò.*

Ad 2. argu-
mentati-
onem nō
esse bonā
ab affir-
mativa de
prædicato
infinito
ad negati-
vā.

264. Ad tertium respondeo, datâ majori de terminis verè contradictoriis, & qui nullo modo salvantur cum veritate; secus autem de illis, qui cum veritate componuntur; ut contingit in proposito propter eminentiam infinitæ perfectionis. Ratio autem, quare possit eidem entitati divinæ convenire, quod identificetur cum Filio, & simul distinguatur ab illo; non autem possit convenire eidem entitati duplex ratio, quarum quælibet alteri relativè

Ad 3. di-
co, de ter-
minis, qui
cū contra-
dictoriis
appareat,
verè com-
ponuntur,
veram pō-
tē esse.

D d 3

oppona-

opponatur; videtur esse. Tum quia relationis oppositio in divinis salvari nequit absque processione reali unius ab alio. Hoc autem absque distinctione reali salvari non potest; cum non possit idem à se ipso procedere. Ergo. Addiderim, quod vel ipsi Adversarii fateri tenentur; nam ipsi de eadem entitate Paternitatis, & essentiae verificant illas propositiones contradictorias; & nihilominus salvare non possent; quod essentia opponeretur relative Paternitati, & e contra, absque distinctione reali entitativa.

Ad 4. nego sequelam.

265. Ad quartum nego sequelam. Quia de essentia, ut significatur hoc nomine, nunquam predicatur, quod predicatur de Paternitate hoc nomine significata: Quia hæc nomina significant diversas rationes actu distinctas; ac proinde quod predicatur de unâ, non predicatur de aliâ; quia de distinctis distincta predicantur. De entitate verò, cui utraque ratio absque distinctione tribuitur, jam est dictum, qualiter loquendum sit. Ad quintum, concessio antecedenti, nego consequentiam. De quo duplex ratio potest assignari. Prima est; quod entitas divina communicatur sub unâ ratione, & non communicatur sub aliâ; sed distinguitur; provenit ex oppositione, quam secundum unam rationem dicit entitas Patris cum Filio; at verò cum intellectu beati sub nullâ ratione entitas divina dicit oppositionem; & sic ex communicatione sub unâ ratione, & non communicatione sub aliâ, sequeretur distinctio rei à re, eò quòd visio intuitiva attingat rem, secundum quod actu in se est. Secunda est. Quia natura & Paternitas terminant visionem, & intuitionem divinam sub eadem ratione objecti intelligibilis; & sic non est, unde videatur una, & non alia; sicut non est, unde terminus ad intra productus, realiter proveniat ab essentia, & non à Paternitate; eò quòd sub nullâ ratione dicat oppositionem entitas divina cum productione termini creati.

Ad 6. & 7. respondeo.

266. Ad sextum respondeo, quod illud, quod facit distinctionem in divinis, potest componi cum eo, quod nec distinguit, nec distinguitur, dummodò non sit idem ratione, licet sit idem secundum rem. Ad septimum respondeo, quod unitas essentiae non opponitur distinctioni relationum: Unde non sequitur, quod relatio, & essentia sint causæ oppositorum. Ratio est. Quia absque ullâ oppositione inter essentiam, & relationes, Deus est unus, & trinus.

LECTIO III.

An sit alius modus, quo possint contradictorias in divinis salvari?

267. **D**ubium hoc incidens est post impugnationem Durandi, & Scoti; in quo non alium Scopum præfigimus, nisi quod discutiamus, an stando doctrinæ Divi Thomæ absque eo, quod confugiamus ad ullam distinctionem virtuales; nec ad distinctionem penes nostros conceptus, à parte rei possint salvari propositiones istæ: *Paternitas realiter non communicatur Filio: Paternitas realiter distinguitur à Filio: Essentia divina realiter non distinguitur à Filio;* & alia id generis: Cum tamen ut Fide certum statuamus, Paternitatem, & essentiam divinam secundum rem esse omnino idem actu. Pro cuius solutione.

268. Nota primò in eadem indivisibili entitate Patris dari formaliter Paternitatem, & etiam formaliter essentiam divinam; & hoc omnino à parte rei. Ratio videtur indubitabilis. Quia prima Persona Trinitatis est formaliter Pater, & est formaliter Deus independenter ab omni operatione intellectus nostri. Sed prima Persona Paternitate est formaliter Pater, & essentia divina, seu Deitate est formaliter Deus. Ergo in eadem simplicissimè entitate divini Patris est formaliter Paternitas, & est formaliter essentia divina.

269. Nota secundò ea dici esse unum actu, & idem secundum rem, quæ à parte rei indivisibiliter habent unum; & idem esse actualitatis, & existentis; sicut ea dicuntur distingui secundum rem, quæ diversum esse, diversamque existentiam accipiunt. Ratio est. Quia quæ eadem actualitate gaudent, non possunt dici actu distincta, nec distinctæ res actu. Similiter quæ distinctis actualitatibus existunt, non possunt dici, quod actu sint idem secundum rem; cum igitur licet Paternitas, & essentia divina sint formaliter in entitate Patris, ac unâ, & indivisibili actualitate divinæ existentis gaudeant; ideo Catholice dicimus, essentiam, & Paternitatem esse unum, & idem actu secundum rem.

270. Nota tertio ex Divi Thomæ doctrinâ, tribus modis accipi hoc, quod vocamus esse. Primò sumitur esse pro ipsâ quidditate, & naturâ rei; quod esse dicitur quidditativum, & significatur per definitionem; ut cum querimus, quid est homo?

Qui sit difficultatis Scoti?

In eadem indivisibili Patris entitate datur formaliter Paternitas, & essentia divina.

Quæ dicitur esse unum, & idem actu 2. rem?

Yuxta Augustinum tripliciter esse.

homo? Et responderetur: *Animal rationale*. Secundò sumitur *esse* pro actu essentia, quem actum communiter nomine existentia significamus, eo quòd dicimus, rem actu esse, & existere à parte rei; à cuius unitate, & multiplicitate dicitur, quod res sit una actu, vel multiplex actu. Tertio modo accipitur *esse* pro eo, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod est dicitur copula; & hoc *esse* quantum ad affirmationem, vel negationem datur in intellectu componente unum prædicatum cum alio, aut dividente unum ab alio. Ita expressè S. Thomas quæst. 1. distinct. 33. artic. 1. ad primam. Nec per hoc negamus, res habere esse intentionale, sive in intellectu, nisi per affirmationem, & negationem; cum constet ex dictis, quod quando rem in aliquo conceptu apprehendimus, ea existat intentionaliter in tali conceptu, & habeat esse intentionale.

271. Nota quartò quod licet sit verum, nos pro hoc statu non posse res definire, nisi eas accipiamus in diversis conceptibus, quando præsertim per diversas definitiones declaramus ea, quæ secundum rem sunt unum, & idem actu à parte rei; per hoc tamen non tollitur, quin illud, quod importatur per definitionem, sit verè, propriè, & formaliter in re ipsa; licet in ipsa neque sit definitio, nec quidditas importata sit secundum modum, qui est in conceptu, qui dicitur definitio. Do exemplum, cum quærimus, quid est Petrus secundum suam essentiam? Et respondemus per definitionem hominis, quod est animal rationale; non possumus negare, quod verè, propriè, & formaliter in Petro, prout existit à parte rei, sit animal rationale; licet nunquam sit concedendum, quod in Petro sit definitio à parte rei, vel quod Petrus sit definitio.

272. Nota quintò quod *ratio* accipi potest in duplici sensu. Primò prout *ratio* significat id, quod est in intellectu; in quo sensu tantum valet *ratio*, ac ipse actus rationis, vel conceptus, sive hic sit definitio, sive argumentatio, &c. Secundò sumitur *ratio*, prout est nomen intentionis, secundum quod significat definitionem rei, prout *ratio* est definitio. Dicitur enim nomen intentionis; quia cum definitio ut talis sit conceptus, & juxta dicta in cursu Philosophico, conceptus dicatur intentio; ex quo ortum habuit, ut res, quas in conceptibus apprehendimus, dicamus, habere esse intentionale: Inde est, quod nomen impositum ad significandam immediatè rem, quæ immediatè solum cognoscitur à nobis in aliquo conceptu, dicatur *ratio*,

& dicatur intentio; quia utrumque habet conceptus. Vel quod verius est, dicitur nomen intentionis; quia impositum est ex intentione significandi id, quod apprehendimus in conceptu definiente, juxta illud, quod communiter dicitur; voces scilicet esse impositas ex intentione liberè aliquid significandi.

273. Hæc est expressa Divi Thomæ doctrina loco citato ad 3. ubi ait: *Sciendum est autem, quod ratio sumitur dupliciter; quandoq; enim ratio dicitur, quod est in ratiocinante; scilicet ipse actus rationis, vel potentia, quæ est ratio; quandoq; enim ratio est nomen intentionis, sive secundum quod significat definitionem rei, prout ratio est definitio. Dico igitur, quod cum dicitur, quod est alia ratio Paternitatis, & essentia in divinis; non accipitur ratio, prout est in ratiocinante tantum; sed secundum quod est nomen intentionis, & significat definitionem rei; quamvis enim in divinis non possit esse definitio, nec genus, nec differentia, nec compositio: Tamen si intelligatur ibi, aliquid definiri, alia erit definitio Paternitatis, & alia erit definitio essentia. In omnibus autem intentionibus hoc communiter verum est, quod intentiones ipsæ non sunt in re; sed in animâ tantum; sed habent aliquid in re respondens, scilicet naturam. Et Paulò infra: Et ita ipsa ratio, quam dicimus aliam, & aliam in divinis, non est in re; sed in re aliquid respondens ei, in quo fundatur; scilicet veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur: Unde possunt rationes diverse illi convenire; & ideo non sequitur, quod Deus sit rationes illas; sed quod sit tantum habens eas; sicut non possumus dicere, quod Deus sit nomen, quamvis nomen habeat; sed quod Deus est bonitas; quia bonitatem habet; similiter etiam Paternitas, quia Paternitatem habet; sed non sequitur, quod sit ratio, quia rationem habeat. Hinc.*

274. Nota sextò independentè ab omni operatione intellectûs, ut dictum est, in eadem entitate simplicissimâ Patris esse Paternitatem, & esse essentiam ita, ut verissimum sit, quod Pater sit Paternitas; & sic etiam essentia divina sit: Sed quia in modo explicandi hoc Mysterium, potest esse maxima equivocatio; explanandum est, quod dupliciter sumantur essentia, & Paternitas. Primò igitur accipiuntur essentia, & Paternitas, prout eas actu seorsim in distinctis conceptibus apprehendimus: Qui modus accipiendi est nobis omninò necessarius pro hoc statu, in quo non attingimus intuitivè Paternitatem, & essentiam, ut sunt in se, nec secundum modum, quo sunt in Deo; sed solum prout existunt in nostris conceptibus. Unde in hoc sensu verum est dicere, Paternitatem distingui actu per intellectum ab essentiâ; vel, ut alii dicunt, quod Paternitas ratione distinguitur actu ab essentiâ. Ratio est. Quia cum Paternitas cognoscatur in alio conceptu.

Illaratio
nis utur-
patio ex-
presse
traditur à
S. Thoma
ubi nuper
ad 3.

Essentia, &
Paterni-
tas, sumuntur
primò
prout eas
seorsim
actu di-
stinctis
concepti-
bus ap-
prehendi-
mus.

Quod im-
portatur
in defini-
tione rei,
est in ipsa
formali-
ter.

Duplici-
ter potest
accipi
ratio.

conceptu ab eo, in quo attingitur essentia, diversu esse intentionale habet in hoc suo conceptu, ac in proprio suo habet essentia: quare sicut ea, quæ à parte rei, & secundum rem habent diversum esse, dicuntur actu distincta secundum rem: sic ea, quæ habent diversum esse secundum intellectum, dicuntur actu distincta per intellectum, sive per hunc ratione actu distincta.

2. sumuntur quidditative.

275. Secundò. Si de Paternitate, quam in suo peculiari conceptu cognoscis, quæras, quid sit Paternitas? Respondebis mentaliter: Paternitas est respectus realis ad Filium, & in hoc conceptu, qui dicitur definitio, attingit clarè esse quidditativum Paternitatis. Pari modo si quæras, quid est essentia divina? Respondebis, quod est essentia infinita communis tribus Personis. Adverte tamen, quod cuilibet ex his definitionibus respondet aliquid in re, sive in entitate actu simplicissima & indivisibili Patris: nam uni correspondet natura Paternitatis, sive esse quidditativum illius; alteri verò natura essentia, sive esse quidditativum illius.

3. prout significatur nominibus magis vel minus expressivis

276. Tertiò. Ex intentione significandi Paternitatem cognitam in conceptu definiti, assignamus hoc nomen; scilicet *Paternitas*: & ex intentione significandi Paternitatem clarè cognitam in conceptu definitionis, assignamus hæc nomina magis expressiva; scilicet *relatio*, aut *respectus realis ad Filium*, & idem de nominibus significantibus divinam essentiam. Hinc est quod nomen *Paternitas* (& sic de aliis) juxta Divum Thomam dicatur etiam *ratio*, & significet primariò & immediatè quidditatem, seu esse quidditativum Paternitatis, quod est à parte rei in ipsa Patris entitate: ac proinde huic nomini *Essentia* correspondet à parte rei quidditas divina essentia: & huic nomini *Paternitas* correspondet à parte rei quidditas relationis.

4. sumuntur 2. esse essentia, & 2. actualitatem existentia

277. Quartò. Infertur ex dictis, Paternitatem, & essentiam, quæ re ipsa formaliter reperiuntur in entitate divina, posse dupliciter accipi: primò secundum esse quidditativum: secundò, secundum esse essentia, sive secundum actualitatem existentia. Si hoc secundo modo accipiantur, dicuntur esse idem actu secundum rem: quia in hoc sensu Paternitas, & essentia non sunt nisi una indivisibilis actualitas divina: non enim est alia actualitas Paternitatis, & alia actualitas essentia divina. Si verò primo modo accipiantur, tunc huic nomini *Paternitas* correspondet à parte rei in ipsa entitate Patris esse quidditativum formaliter, quod nullo modo ex parte entitatis divina correspondet huic nomini *Essentia*. Ratio est. Quia quod significatur hoc nomine *Paternitas*, est respectus realis ad Filium: talis autem respectus, non potest negari, quod sit realiter forma-

liter in entitate Patris. Similiter huic nomini *Essentia* respondet à parte rei esse quidditativum essentia, quod nullo modo correspondet ex parte entitatis divina huic nomini *Paternitas*, Ratio etiam est. Quia quod significatur hoc nomine *Essentia*, est essentia divina, & communis: talis autem perfectio, negari non potest, quin à parte rei formaliter sit in ipsa Patris entitate.

278. Hinc colliges, quid velit Sanctus Thomas, cum passim dicat: *Paternitas scilicet & essentia sunt idem secundum rem: differunt tamen ratione*, Mens igitur Sancti Doctoris non est quod Paternitas prout est in suo conceptu, distinguatur ab essentia, prout est in alio conceptu: Tum quia per hoc solum non sufficienter salvantur veritates, quæ dicuntur de Augustissimo Trinitatis Mysterio: Tum quia id clarè colligitur ex verbis Sancti Doctoris ubi supra. Nec mens Sancti Doctoris est, quod Paternitas, & essentia sint à parte rei formaliter alia, & alia ratio, prout se habet ex parte entitatis divina. Tum quia ex mente Sancti Doctoris *Ratio* vel sumitur pro conceptu, vel proprio nomine vocali: certum autem est, quod Pater neque est conceptus, neque nomen, quamvis Pater sit Paternitas, & sit essentia, Mens igitur Doctoris Angelici est, vel esse videtur; Paternitatem, quæ est formaliter in Patre, distinguat ab essentia, quæ etiam est formaliter in Patre; non quidem secundum rem; cum eadem indivisibili entitate gaudeant; sed solum ratione; quia Paternitas, quæ est formaliter in Patre, significatur, vel est significabilis per rationem, aut nomen, quo non significatur, aut est significabilis essentia; & e contra: Unde ea, quæ secundum rem diversis actibus, & seorsim existunt, dicuntur secundum rem distincta: sic ea, quæ diversis definitionibus definiuntur, vel possunt definiri; quæ diversis rationibus, aut nominibus significantur, aut seorsim possunt significari, dicuntur ratione distingui.

279. Unde si objicias sic. Paternitas realiter formaliter est ad Filium. Sed essentia realiter formaliter est Paternitas. Ergo essentia realiter formaliter est ad Filium. Juxta Divi Thomæ doctrinam sic tibi respondeo: concedo præmissas, & nego consequentiam. Quia licet essentia, & Paternitas sint idem actu secundum rem; distinguuntur tamen ratione: verum quidem est, quod Paternitas quæ est relatio realis ex parte Patris, est ad Filium; verum est etiam, quod essentia divina, quæ est ex parte Patris non est ad Filium: ex hoc autem non probatur, quod sint actu distincta à parte rei, quia à parte rei eadem actualitate divina gaudent: Unde sufficit quod distinguantur ratione: quia Paternitas, quæ est ex parte Patris ad Filium, habet distinctam rationem, seu significatur distincto nomine

Quid velit S. Thom. dicens Paternitas & essentia esse idem secundum rem; differunt tamen ratione;

278

Unde quæ vis Paternitas sit, realiter formaliter ad Filium sit; eadem essentia; hæc non est realiter formaliter ad Filium.

nōmine, seu ratione, quæ ex parte Patris non est aliud: idēo essentia & Paternitas dicuntur actu distingui extrinsecè ab iis rationibus, quæ cum actu distinctæ sint, denominant extrinsecè actu distincta ea, quæ significant; scilicet Paternitatem, & essentiam, non quod ex istis rationibus una sit ad aliud, & altera non sit ad aliud: nam quod propriè est ad aliud, est ipsa Paternitas, quæ est in re; Unde aliud est, quod Paternitas, quæ denominatur actu extrinsecè distincta per suam rationem ab essentiâ, sit respectus ad aliud: & longè diversum, & aliud est, quod Paternitas sit ad aliud prout distincta: quasi indigeat tali nomine, seu ratione, ut sit ad aliud. Primum est verum, secundum verò falsum. Quia in entitate Patris, omni sive nominis, sive conceptus ratione seclusâ, datur respectus realis ad Filium: quamvis verum sit, non posse verificari talem respectum, quin necessariò sequatur, quod illa entitas significetur, aut sit significabilis per duas rationes distinctas, aut quod talis entitas habeat illas duas rationes. Hic autem est modus, quem tenuit Divus Thomas, ad loquendum de his quæ de hoc Altissimo Mystério verificantur. Unde quod entitas Patris habeat duas rationes actu distinctas: idem est, ac ipsam habere duo nomina, quibus correspondent, quidditas Paternitatis, & quidditas essentia.

An Paternitas à parte rei distinguitur formaliter ab essentiâ?

280. At cum nulla entitas possit habere distinctas rationes sine fundamento ex parte rei, & entitatis, ita ut ex parte illius sit aliquid quod respondeat uni rationi; & aliud, quod respondeat alteri; investigandum est, an possit dici, quod Paternitas à parte rei, & independenter ab omni ratione sive conceptus, sive nominis, distinguitur formaliter; cum hoc tamen addito, nimirum secundum esse quidditativum?

Respondeo affirmative.

281. Sit ergo conclusio. Satis probabile videtur secundum principia Divi Thomæ, essentiam, & Paternitatem à parte rei, & independenter ab omni operatione intellectus distingui formaliter inter se secundum esse quidditativum. Quâ distinctione positâ, faciliori modo videntur salvari ea, quæ de arcanissimo Trinitatis Mystério verificantur. Hic verò modus in eo distinguitur à sententiis Durandi, & Scoti (si hic distinctionem actualem ex naturâ rei admiserit, de quo valde dubito) quod per eum non admittitur distinctio ulla actualis; sed solum formalis quidditativa. Secunda pars conclusionis constabit ex solutione argumentorum.

Quoad 1. suadet ex S. Th.

282. Nunc verò probatur primò conclusio quoad primam partem ex Divo Thomâ. Et sic dico, quod non oportet, quod esse divina essentia sit ad aliud se habere; quia illud esse, in quo Paternitas, & essentia ununtur; significatur ut est esse, quod est actus essentia; non Theol.

autem ununtur in esse, quod significat definitio rei. Ex quibus sic arguitur. Ea, quæ non ununtur in aliquo esse, eâ ratione, quâ non ununtur, distinguuntur formaliter secundum illud esse. Sed Paternitas, & essentia non ununtur secundum illud esse, quod significat definitio rei formaliter. Ergo secundum illud esse distinguuntur. Tunc sic. Sed quod significatur per definitionem Patris, est esse quidditativum paternitatis; sicut quod significatur per definitionem essentia, est esse quidditativum essentia. Ergo à parte rei Paternitas distinguitur formaliter secundum esse quidditativum ab essentiâ. Minor subsumpta patet. Tum quia quod significat definitio, ut constat dictis, solum est esse quidditativum, sive quidditatem rei. Tum quia id, quod significatur per definitionem veram, debet in ipsâ re formaliter reperiri.

283. Probatur secundò. Quod significatur per hanc vocem Paternitas, est respectus realis ad Filium. Sed ex parte entitatis divina à parte rei, & seclusâ omni ratione sive conceptus, sive nominis, est respectus realis ad Filium. Ergo quod significatur per vocem Paternitas, est verè, & formaliter à parte rei. Major & minor constant. Alias rationes non essent realiter in Deo; sed solum secundum dici. Tunc sic. Sed ex parte entitatis divina, quod correspondet huic nomini Paternitas, non correspondet huic nomini Essentia, & e contra. Ergo ex parte entitatis divina Paternitas, & essentia quidditative non sunt idem, ac proindè secundum esse quidditativum formaliter distinguuntur. Ergo, &c.

Deinde quia quod ex parte divina entitatis correspondet huic nomini paternitas non correspondet huic essentia.

284. Firmatur hæc ratio. Nisi daretur quidditas rei, non daretur definitio rei. Ergo quia formaliter datur quidditas rei, idēo datur definitio explicans rei quidditatem. Ergo nisi daretur duplex quidditas formaliter distincta, non daretur duplex definitio distincta formaliter. Paternitas consequentia. Quia una quidditas formalis non valet definiri per duas definitiones oppositas. Tunc sit. Sed diversa est definitio Paternitatis à definitione essentia; cum una significet quidditatem rei ad aliud; & altera quidditatem rei non ad aliud. Ergo quidditas Paternitatis, quæ significatur per unam definitionem, distinguitur formaliter à quidditate, quæ significatur per aliam.

Firmatur præjacta ratio.

285. Respondebis, per hæc non convinci distinctionem formaliter quidditativam à parte rei inter essentiam, & Paternitatem; sed solum distinctionem virtualem quidditativam: licet enim esse quidditativum essentia sit formaliter idem cum esse quidditativo Paternitatis; nihilominus à parte rei virtualiter distinguuntur: hoc est se habent, ac si verè, & formaliter distinguerentur in ordine ad præstanda

Dices per hoc solum convinci distinctionem virtualem quidditativam

omnia illa, quæ fide credimus de arcano Trinitatis Mysterio.

Verumta-
men non
plenè sa-
tisfacit.

286. Verum hoc non videtur plenè satisfacere. Primò, Quia huic voci *Paternitas* vel correspondet aliquid ex parte rei in entitate Patris, vel non? Si hoc ultimum: ergo in Patre non est Paternitas, neque respectus realis ad Filium. Ergo nec est relatio: quod est hæreticum: nam Pater realiter, distinguitur realiter à Filio. Si ergo primum? Rogo, an huic voci *Paternitas* correspondeat essentia divina, necne? Si secundum: habetur intentum: ergo in illà entitate est aliquid, quod formaliter quidditative correspondeat; & aliquid, quod secundum esse quidditativum non correspondeat. At quod correspondet quidditative, est Paternitas; quod verò non correspondet, est essentia. Ergo à parte rei Paternitas & essentia distinguuntur secundum esse quidditativum. Si verò primum: Ergo essentia divina est ad aliud. Probatur consequentia. Totum, quod significatur per hanc vocem *Paternitas*, est ad aliud, cum per illam solùm significetur quidam respectus. Sed per talem vocem significatur essentia. Ergo Secundò. Vel quod significatur per talem vocem, est aliquid virtualiter distinctum à Paternitate, vel formaliter distinctum? Si secundum: habetur intentum; Paternitatem scilicet formaliter quidditative distingui ex parte rei ab essentia. Si primum: Ergo per talem vocem significatur formaliter essentia. Patet consequentia. Quia significatur, quod est formaliter Paternitas, licet non significetur, quod non est virtualiter Paternitas. Sed essentia est formaliter Paternitas; siquidem formaliter quidditative non distinguuntur. Ergo essentia est formaliter ad aliud, & formaliter distinguitur; solùmque virtualiter non distinguitur, neque est ad aliud. Patet consequentia. Quia quod significatur formaliter per talem vocem, est formaliter ad aliud. Hoc eodem argumento probatur, Paternitatem formaliter communicari: nam quod significatur formaliter quidditative per hanc vocem *Essentia*, communicatur realiter formaliter. Sed per talem vocem significatur Paternitas, si Paternitas, & divina Essentia sint una quidditas formaliter. Ergo communicatur formaliter Paternitas. Unde terminorum mutatione alia possunt argumenta formari, quæ communiter fiunt, scilicet essentiam produci, sicut Filiationem, & econtrà, &c.



LECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

287. **O**ppones primò, Essentia & Paternitas realiter entitative sunt idem. Sed Paternitas realiter entitative distinguitur à Filio. Ergo essentia realiter entitative distinguitur à Filio, & est ad aliud. Et idem est de communicatione entitativa Paternitatis, eò quòd communicetur realiter entitative essentia: & de productione essentia, eò quòd realiter entitative producatur Filiatio: nam quæ sunt entitative eadem, quidquid uni competit, debet etiam alteri competere. Concessà majori, distinguo minorem: distinguitur à Filio, & est ad Filium: idest, secundum esse entitativum, & actuale, nego: idest, realiter formaliter secundum esse proprium, & quidditativum, concedo minorem. Explicatur. In entitate divinà licet sit una, & indivisibilis actualitas secundum rem; est tamen duplex quidditas: quia potest terminare duplicem definitionem distinctam: aliam, quæ definiatur secundum esse quidditativum Paternitatis; & alteram, quæ definiatur secundum esse quidditativum essentia: quod duplex esse verè est in illà entitate; ita ut quod verè & realiter in illà entitate est ad aliud, solùm sit quidditativum esse paternitatis: hoc autem esse aliud non est, quàm respectus realis ad Filium: quod quidem esse non communicatur realiter formaliter: similiter quod verè & realiter communicatur Filio in eà entitate, est esse quidditativum essentia: quod nullo modo est ad aliud. Ex quibus salvantur contradictoria; quia sunt secundum aliud, & aliud esse quidditativum: nam esse quidditativum essentia, nec producitur, nec est ad aliud: est tamen verè, & realiter communicatum, & nunquam distinctum. Similiter esse quidditativum Paternitatis est, quod verè, & realiter est ad aliud; & hoc nunquam communicatur. Jam verò cum ea, quæ affirmantur & negantur realiter, non sint secundum illud esse indivisibile, & actuale; sed solùm secundum aliud, & aliud esse quidditativum; nunquam sequitur vera, formalis contradictio.

288. Opponitur secundò. Respectus, qui est in Patre & ad Filium, est realis & actu existens. Ergo actualitas illius respectus est ad aliud. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio est. Quia licet secundum rem sint idem respectus, & divina actualitas, quæ existit, tamen respectus Paternitatis secundum esse quidditativum nò est illa actualitas, quin potius distinguitur formaliter quidditative ab illà actualitate: ex quo fit quod solùm quidditas respectus sit ad aliud; non verò actualitas, quæ existit talis respectus.

289. Opponitur tertio. Ergo secundum illud esse, & actualitatem, quæ uniuntur à parte rei Paternitas, & essentia, non poterunt de illis prædicata contradictoria verificari. Concedo planè consequentiam. Quia in eo; in quo conveniunt aliqua, non distinguuntur, nec in eo possunt opposita, de illis verificari, ut sunt hæc: *Essentia realiter est divina: Paternitas realiter non est divina; essentia existit secundum rem: Paternitas secundum rem non existit; essentia est infinita realiter; non verò Paternitas.* Et ratio est. Quia cum hæc habeant ex illâ actualitate entitativâ, in quâ non differunt, non est, unde opposita prædicentur; at verò cum esse ad aliud, & non esse ad aliud; communicari, & non communicari, &c. habeant Paternitas, & essentia secundum esse quidditativum, in quo realiter formaliter differunt, salvantur ea omnia absque ullâ verâ contradictione.

290. Opponitur quarto. Paternitas, & essentia differunt à parte rei formaliter quidditative. Ergo datur compositio ex Paternitate, & essentiâ formaliter quidditative. Consequentia probatur. Quia compositio est distinctorum unio. Sed à parte rei Paternitas, & essentia uniuntur. Ergo ex illis compositio resultabit. Nego primam consequentiam. Ad probationem distinguo minorem: uniuntur secundum esse quidditativum, nego; secundum esse actuale rei, subdividuo: Uniuntur unione simpliciter, concedo; unione compositionis, sive distinctorum, nego minorem. Divina igitur entitas dupliciter consideratur: Primò secundum esse rei; id est secundum actualitatem existentiam; ratione cuius convenit entitati divinæ, quod sit actus purissimus, quod sit infinita, intelligens, &c. quæ omnia realiter entitative æquè competunt Paternitati, ac essentia; & ideo secundum hoc esse uniuntur unione simplicitatis; & sic nullo pacto differunt.

291. Secundò consideratur entitas divina secundum esse quidditativum; quod esse consideratur ex ordine, quem dicit ad definitionem: Cum igitur entitas divina duplicem definitionem sustineat; aliam, quæ definitur secundum quidditatem essentia; quæ quidditates verissime sunt in tali entitate; dicitur, in eâ esse duplex esse quidditativum formaliter per ordinem ad diversas definitiones: Jam verò cum secundum hoc esse non uniantur, nulla compositio resultat adhuc quidditativa; sicut enim ex diversis definitionibus non resultat compositio alicujus definitionis; sic non resultat aliqua quidditativa compositio ex illâ duplici quidditate; quia secundum esse quidditativum, cum sint in

Theol.

ordine ad diversas definitiones, potius dividuntur quidditative. Hæc tamen disputandi tantum gratiâ dixerim, ne hunc modum discurrendi prætermitterem.

292. Quidquid tamen de illo sit, semper judico, nostram esse tenendam sententiam eo modo, quo manet explicata, & explicuit Almus Thomas fulgentissimus Scholarum sol. Tum quia Sanctus Doctor nullam unquam admisit à parte rei distinctionem formalem etiam quidditativam inter essentiam, & Paternitatem; vel saltem eam non declaravit. Tum quia potest dici, eandem entitatem simplicissimam modò definiti per unam definitionem; & sic dici esse quidditativum Paternitatis; modò per aliam; & sic dici esse quidditativum essentia; divinæ.

Nostra igitur sit modo explicato est tenenda sententia.

293. Hoc autem non est, in entitate divinâ dari à parte rei aliam, & aliam quidditatem; sed solum indivisibilem, & simplicissimam Dei entitatem; quæ ob sui infinitatem, eminentiam, & dignitatem non potest significari unâ ratione, vel uno nomine, aut definitione; ac proinde petit duas rationes, aut definitiones, quibus definiatur, aut explicetur. Unde eadem entitas Patris est ad aliud, & non est ad aliud: Quia eadem entitas est simul relativa, & absoluta; & sic quatenus significatur, aut potest significari per hanc vocem *Paternitas*, est ad aliud; & quatenus significatur, aut potest significari per hanc vocem *essentia*, non est ad aliud: Unde eadem entitas quæ Paternitas, est ad aliud, & non communicatur; & eadem, quæ essentia, communicatur, & non est ad aliud: Ita tamen, ut ly *quæ essentia*, & ly *quæ Paternitas* solum arguant distinctionem nominis, seu rationis; non verò distinctionem ullam rei, sive à parte rei etiam quidditativam, & formalem.

294. Est tamen necessaria illa duplex ratio, seu definitio ad explicandam eminentiam entitatis divinæ: Quæ propter eadem entitas divina ut significabilis per duo nomina, vel duas definitiones, dicitur solum ratione actu distincta, non in se, nec à parte rei; sed solum extrinsecè ab illo duplici nomine, seu definitione; quemadmodum punctum absque ullâ distinctione, & divisione in se; quia est principium, & finis lineæ; & instans principium futuri, & finis præteriti temporis; dicuntur ratione distincta: Quia alio modo definiuntur, quatenus principium; & alio modo, quatenus finis; licet in re eadem indivisibilis entitas sit principium, & finis. Hæc ergo est sententia Divi Thomæ, cui nos corde, & affectu insitimus.

E e 2

QUÆ-